



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

Reverendo Admodum Patri, Ioanni De Atiença, Præposito Prouinciali
Societatis Iesu in hac prouincia Peruana, Stephanvs De Avila, eiusdem
Societatis, perpetuam felicitatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656



REVERENDO
 ADMODVM PATRI,
 IOANNI DE ATIENÇA,
 Præposito Prouinciali Societatis
 Iesu in hac prouincia Peruana,
 STEPHANVS DE AVILA, eiusdem
 Societatis, perpetuam felicitatem.



*TTENTA animi consi-
 deratione perpendi, R. ad-
 modum Pater, eum fuisse
 solum animum, id consi-
 lium, perquam colendi Patris nostri ge-
 neralis, summi Pont. Christi in terris vi-
 carij, auctoritate confirmatum, Philippi
 Regis Catholici liberalitate perfectum,
 cum primum nos in remotissimas has re-*

A 2 giones

giones dimisit, ut fluxarum rerum abiecta sollicitudine, & secularibus relictis desiderijs, omnes animi nervos, omnes curas & cogitationes in salutem Indorum intenderemus. Quorum permulti, ut tenere adhuc piante, & qua in Catholica religione altas non iccerint radices, nisi continua illorum, qui vineam hanc Domini Sabaoth, qua extendit palmites suos usque ad mare, excolunt, adsit industria, nullos, vel saltem exiguos, fructus immortalis & aeterna vita dignos perferent. Plures vero, ut existimo, in medijs vitiorum sordibus, & auita idololatria tenebris, ita iacent, ac miserè detinentur, ut ex illis ad exteriores & aeternas iam iam detrudendi sint, nisi clarissimo evangelij lumine illustrentur. In quam felicissimam sortem permultos ex nostris patribus electos esse video, ut & illos in vera pietatis officio, & Catholica religione continerent; hos à barbara immanitate, ad Christianam elegantiam;

5
tiam; ab idolorum cultu, quibus mancipati sunt, ad Summe Trinitatis obsequium, & filiorum Abrahæ libertatem traducant: ut quodammodo videantur positi in lucem gentibus, & lucernæ ardentes super candelabra, ut luceant omnibus, qui domus Dei ostium requirunt ingressuri. Dicant hi exultantibus animis cum psal-
mographo rege, Funes ceciderunt nobis in præclaris; quippe qui parvulis frangimus panem, quibus quotusquisque est qui petentibus subveniat? Qua in re eo maius est gloria & immortalitatis præmium, quo sæpius in multis laboribus, & certissimis vitæ periculis versantur. Illos enim beatos prædicat Scriptura, Qui su-
per egenum & pauperem intelligunt, quos in die mala liberaturum Dominum pollicetur: felicissimi labores, clarissima militum trophæa, qui fortem armatum, ex atrio, quod longo tempore in-
iunctus pacificè custodivit, licet infirmi &

A 3 debiles

debiles (ut non gloriatur omnis caro) di-
 uina ope, auxilioque suffulti, cum summa
 Dei gloria; illius tamen summo dedecore,
 expulerunt. Qua in re diuini Isaae pro-
 pheticum vaticinium conspiciamus adim-
 pleri: Tunc aperientur oculi caco-
 rum, & aures surdorū patebunt; tunc
 saliet sicut ceruus claudus, & aperta
 erit lingua mutorum: quoniam scissæ
 sunt in deserto aquæ, & torrentes in
 solitudine. Et quæ erat arida, erit in
 stagnum; & sitiens, in fontes aqua-
 rum. In cubilibus, in quibus prius
 dracones habitabant, orietur viror
 calami, & iunci. *In id in studium, R. ad-*
modum Pater, quanta potes cura & con-
tentione semper incubuisti; quandoquidem
optimum & illustrissimum quemque ex
his, quos plures in omni virtutis & doctri-
ne genere præstantes hæc prouincia alit,
in eam sortem delegeris, ut clarissimum
lumen euangelij, in eas perferant regiones,

in quibus, vel hactenus non intellectum fuerat, vel iam propè penitus interierat. Cùmque me sæpius ex illorum societate, quibus in salutem Indorum feliciter contigit insudare, expulsus, atque tam in nostris adolescentibus, quàm in externis, qui decursu temporis vinea huius operarij futuri sunt, Theologica disciplina informandis occupatum intuerer (in quorum continuas, ac graves occupationes, dum vinea excolende insudant, ut experientia ipsa sæpius ostendit, et crebrò de officijs, & religione incidunt quæstiones, ut æquè totius bonæ literaturæ præsidia in media Barbaria, quàm in media Hispania requirantur) & in ea potissimum Theologia parte, quam Scholasticam dicimus, permultos annos versatus sim: nec meo muneri, nec voluntati satisfactum existimai, nisi, quibus possem studijs, quibusq; illis maxime opus est (sunt autem illa de moribus & officijs elucidatæ quæstiones.)

A 4 patri

patribus nostris, qui Indorum salutem
 curant, opem licet exiguam afferrem.
 Quandoquidem nec se librorum copia,
 hac & illac perpetuo discurrentes, prepe-
 dire, nec facile in dubijs, qua passim sese
 offerunt grauissima, alios, cum longissime
 absint, possint consultare. Cumque Doctoris
 Martini ab Azpilcueta Nauarri ma-
 nuale, una omnium voce, & animo comen-
 detur (nec immerito, cum ea omnia, qua
 in sacris confessionibus possint occurrere,
 quaeque sacrosancta Tridentina Syno-
 dus, & sanctissimi Pontifices, felicitis recor-
 dationis, Pius V. & Gregorius XIII.
 suis nuper statutis decreuerunt, ita colle-
 gerit, ut nihil umquam, à quouis licet
 prudentissimo rerum aestimatore possit am-
 plius expectari) non alienum à re ipsa,
 nec à meo consilio & instituto putavi, si
 tanti viri lucubrationibus, quod unum
 deesse videbatur, adderem, & illas in com-
 modiore rationem, & faciliorem metho-
 dum

dum redigerem; & que ille saepe longo
 verborum ambitu disputaret, ego paucis
 complecterer: ne, qui celebris huius Docto-
 ris auctoritate inniti velit, prolixis ratio-
 nibus, & pluribus auctorum citationibus
 distrahatur. Si quis autem, in rebus pra-
 fertim grauioribus, altiùs velit illarũ cau-
 sas, primãque fundamẽta requirere, haud
 multũ laborabit, cum tam noua (quod
 equidem summo mihi labore constitit,
 cum perfectã re nouus, ac pluribus in locis
 immutatus in lucem rursus liber exierit)
 quã veteris Latina editionis loca dili-
 genter citauerim, ad quã facile, si sibi ve-
 lit abundantius satisfacere, possit adire.
 Erit etiam mea opera & industria non
 inutilis, nec iniucunda ijs qui graue ac
 difficile confessariorum munus primũ
 suscipiunt. Nullius enim vniquam sum-
 ma (ni fallor) ope aut breuius poterunt,
 aut facilius eam rerum agnitionem licet
 confusam assequi, quam grauissimus
 quisque

quisque auctor in id minus obeunte, ut
 pote necessariam postulat, & requirit,
 nam perfectam, sine & laboris & tempo-
 ris dispendio, non possunt. Præterea cum
 nemo tam firma, ac tenaci memoria sit,
 qui ea, quæ multo studio, ac diligentia pe-
 pererit, ita tenere possit, quin inter tot cu-
 ras & sollicitudines non excidant, negotio-
 rum ve concursu disturbentur; qui si ea-
 dem velit apud eosdẽ auctores, quos quon-
 dam enoluerat, repetere; nec illorum co-
 piam, nec otium temporis nancisci poterit
 opportunum. Cui incommodo haud diffi-
 cile poterit providere, quicumque hoc opu-
 sculum, veluti omnium, quæ multis annis
 in literarum studijs comparauerit, sum-
 mam ac breue compendium in promptu
 habeat. At dicet fortasse quisquam, cum
 aliqua Doctor Nauarrus tradiderit, quæ
 non parum à communi hominum opinio-
 ne abhorreant, sed & (bona tanti viri
 venia) nonnihil à veritate dissentiant,
 cur

cur ego suis in locis quid contrà senserim,
 non adiunxi? *A* qua me sententia de-
 terruit, tum quòd rara esse illa admodum,
 ac per pauca, qua limari, ac excoli dili-
 gentius possent, animaduertentem: tum pra-
 cipue tanti viri auctoritas, qua apud me
 equidem tanta est, quata esse potest maxi-
 ma: cui ego, nisi ijs rationibus, qua possent
 omnes licet illius studiosissimos, quamuis
 inuitos, ad meam sententiam pertrahere, illam
 confirmarem; me ipsum opponere nullatenus
 auderem. Sed compendij breuitas,
 ipsaque instituta quaestionum series, lon-
 giores nec ordiri, nec texere quaestiones
 permittebat. Quod si aggrederer, erat id
 aliud repetendum, cum amputanda essent
 plura, immutanda non pauca, addenda
 plurima, ea potissimum, qua in nouo hoc
 Indiarum orbe, et noua, et grauissima se
 offerunt. Id vero si facerem, non tam alie-
 nos labores in ordinem disponere, quam
 nostros in lucem edere viderer. *Qua in*
re si

re si paululum otij nactus fuero, & ex
 diuturnis occupationibus, quibus disti-
 neor, aliquando respiraro, multorum, qui
 id à me obnixè cōtenderunt, voluntati &
 postulatis satisfaciam. Accipe igitur, per-
 quam colende Pater, hoc opusculum, suc-
 cesciuis, & velut furtiuis temporibus, ela-
 boratum, quod in tuo nomine apparuit.
 Accipiant illud Patres vita mea mihi
 chariores, in quorū gratiam conscriptum
 est, qui si his meis lucubratiunculis pios la-
 bores suos nonnihil leuari conspexerint,
 mei semper inter diuina mysteria memi-
 nerint, obsecro, tam sui spiritualis auxiliij
 indigentissimi, quam suos semper labores
 leuandi studiosissimi. Vale, ex hoc collegio
 nostro Limensi.